

petunt, ut ipsis Venetis satisfaciant de pecunia extorta a civibus Venetis in districtu Padue, qui olim redibant per agrum Paduanum a clade habita Ferarie, quando arcem castri Tedaldi perdidierunt; satisfactio^a Venetis est peracta. Inde petunt a Paduanis, ut eis satisfatiant de fructibus retentis eis de possessionibus^b, quas habebant^c in agro Paduano, ac de pauperie in arboribus et edifiitiis eorum data tempore illius cladis usque in id tempus. Hoc quoque effectum est. Tum Veneti se ingesserunt de pace componenda inter Paduanos et Canem de Scalla, persuasum est Cani, ut cum Paduanis conponeret. Multum enim impensa belli exhaustus erat argento. Consiliis amicorum obtemperavit, pacem Paduanis dedit, captivis redditis absque pretio, ea^d conditione, ut Paduani pacto promitterent^b non de cetero Vicentiam repetere, quam suam esse aserebant^b. Pro^e pace servanda utrimque Veneti spoponderunt^b, ut, si qua pars eam pacem violaret, CCC^f librarum monete Venetorum persolveret nomine pene parti lese^g; si eam penam non solveret, Veneti persolverent ac bellum inferrent^h parti pacem violanti. Igitur captivi rediti^b sunt pace firmata. Non omnes Paduani equo animo hanc pacem gratam habebant, quinⁱ aiebant nonnulli Iacobum de Cararia capi voluisse. Paduani, cum nullum belli metum cum vicinis haberent^k, bellum meditabantur. Itaque cum populo Bononiense^b et ceteris Guelfis belli societatem ineunt. Auxilia mitunt^b contra Gibelinos^l ubique. Concives suos proscriptos aut relegatos non recipiunt.

De alia clade Paduanorum.

Postquam annis fere duobus sic perducta res est, agitur de Vicentia per fraudem habenda. Aliqui cives Vicentini sollicitati vel sollicitantes ultro cum Paduanis consilia^m ineunt de Vicentia eis tradenda Paduanis. Dum hec consilia agerentur, conveniebant in villamⁿ Vicentinam in hospitis domum conscii eius rei. Cum sepius convenissent^o, inquit hospiti hospita coniunx: 'Ut quid

a) 'satisfactio' Hs. b) So Hs. c) 'hebat' Hs. d) 'Ea conditione'.
 e) 'rio' und hinter 'utrimque' falsch interpungiert Hs.
 f) Also 300000; nur 'trecento' Uebers. g) 'lexe' Hs. h) 'inferent' Hs.
 i) 'hebat quim' Hs. k) 'hrēt' Hs. l) 'gilelinos' Hs.
 m) 'consilia' Hs. hier. n) 'in illam Vicentiam' Hs.; 'in una villa de Vincenza' Uebers. o) 'gueissent' Hs.